



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Semita Perfectionis Purgativa, Illuminativa, Et Unitiva**

**Dirckinck, Johann**

**Coloniae Agrippinae, 1705**

**VD18 15298639**

26. Mortificatio intellectûs.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55242](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55242)

II. *Fac me, dulcissime Domine, amare Te, & deponere pondus terrenarum concupiscentiarum, & omnium carnalium desideriorum sarcinam. S. Aug. med. c. 35.*

III. *Auffer à me, Domine, amorem proprium, ut Te solum toto corde diligam!*

## P A S S U S XXVI.

### Mortificatio Intellectûs.

#### T E X T U S.

*Homo, cum in honore esset, non intellexit; comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis. Pl. 48. 13.*

#### Cognitio.

**I**Ntellectus humanus, Adæ peccato, non levius, quàm voluntas, vulnus accepit; imò gravius & detestabilius: scilicet ignorantiam seu cœcitatem; quâ homo & in notione veritatis errat; & quid à se, vel ab alio fieri, aut vitari debeat, ignorat. Atque ex hac radice prima, omnes ferè errores, defectus, & peccata propullulant.

Con-

*Consideratio.*

O si quis innumeros intellectus errores, obscuritates, hallucinationes, insipientias, temeritates, curiositates, pertinacias; & innumera inde ebullientia peccata intimè perpenderet; quàm ardentè Spiritus, sancti dona, adversus hæc mala postularèt?

*Petitio.*

O divine Spiritus! 1. Pressus sum *ignorantiâ*: sæpe enim ignoro, quid credere, quid orare, quid facere vel omittere debeam: obsecro Te, dono *Sapientiæ* me illumina. 2. Sæpe *insipiens* & *inconsideratus* sum, tam in verbis, quàm in operibus, dono *intellectus* exorna me. 3. *Temerarius* sum, in suspicando, iudicando & condemnando: contra id, dono *consilii* obarna me. 4. *Instabilis* sum in iudiciis & bonis propositis; condecora me dono *fortitudinis*. 5. *Pertinax* sum in defendendo proprio iudicio, instrue me dono *Scientiæ*. 6. Regnat in me mundi, carnisque *prudentia*; muni me dono *pietatis*. 7. *Curiositas* in multis ad me non spectantibus, mihi dominatur, freno *timoris Domini* me cohibe; ut donis hisce septenis insignitus, sim nova domus sapientiæ, septem columnis innixa; in qua perpetuò habites.

*Aspirationes.*

I. Deus meus: *Da mihi intellectum, & vivam.* Psal. 118.

II. Da mihi, Domine, ut videam & cognoscam, quæ oportet: *Culpa enim nox, mentis nostra oculum obscuritate perculit: & cum ad superna lucis radium, aciem mentis erigimus, ipsâ infirmitatis nostra obscuritate caligamus.* S. Gregor. 4. moral. c. 22.

III. Deus, qui intellectum das parvulis, da, ut intellectus defectus intelligam atque emendem.

## PASSUS XXVII.

Mortificatio propriæ Voluntatis.

## TEXTUS.

*A voluntate tua avertere.* Eccli. c. 18. 30.

*Cognitio.*

**V**oluntas propria dicitur, quæ ita est nostra, ut in eo, quod volumus, non sit  
fit